

Q. D. B. V.

6

RIGENSIUM MUSARUM

Fautores benevolentissimos,

Amatores flagrantissimos,

Cultores diligentissimos,

Ut

DE REGIÆ CIVITATIS
RIGÆ LAUDIBUS,

Juvenem

Modestia morum & literarum culturâ

Politissimum,

DANIELEM TITZMANNUM,

RIGENSEM,

Ad d. XII. Februarii, horamq. X.

In Athenai nostri Acroâterio,


Perorantem haud graventur audire,

Demissè & humanissimè

invitat

M. HENNINGUS WITTE,

Eloq. & Histor. Prof. P.




Ex Typographico HENRICI BESSEMESSERI.

PLATO.

Patria amat, & vult ipsa amari:
Tuetur suos, nec vult negligi:
Paria à civibus exigit officia:
Quod cuiq; nostrum præstat, jure suô repetit

Est. A





Citè admodum & ex veritatis tripode, Politicorum Smaragdus, Corn. Tacitus; Dum vetera extollimus, recentium incuriosi. Pariter Plinius ætatis suæ suggillans incuriam; Postquam, inquit, laudanda facere desimus, laudari quoq; ineptum putamus. Commune etenim hoc est malum hodie & latè serpens, quod omnes propè Civitates, tanquam pestilens sidus, afflavit. Præsentia invidiâ, præterita veneratione prosequimur: Illis nos obrui, his instrui credimus, ceu nimis rectè Vellejus sentit Paterculus. Succinit ei suavissimè Lyricorum dux & lux Horatius; Virtutem incolumem odimus, sublatam ex oculis quærimus invidi. Quocirca Fabius, vel quisquis Dialogi de Oratoribus auctor, vitio malignitatis humanæ assignat, vetera semper in laude, præsentia in fastidio esse. Ex quo luculenter apparet, quàm graviter hallucinentur, qui antiqua tantùm efferre, recentiorū autem studia irridere atq; contemnere solent. Melius dubio procul & limatiori cum judicio noster iterum Plinius: Sum ex iis, qui miror antiquos, non tamen temporum nostrorum ingenia despicio. Neq; enim tam lassæ & quasi effræta est natura, ut nihil jam laudabile pariat: Nec omnia apud priores meliora, sed nostra quoq; ætas multa laudis & artium studia posteris imitanda tulit. Unde verò sit, quod, sicuti vino veteri; sic & pristinis scriptoribus omnium penè populorum consensus plus existimationis tribuat, novos

contrà fastidiosa aut respuant secula, aut infra meritum de-
terant? Id altioris paulò esse indaginis videtur. Nobis si-
quidem omnibus, ex Poëtæ cujusdam mente, insitum est,
ut rarò ingenio cedere velimus, ac laudem exinde affecte-
mus. Hanc si ab alio præripi putemus, palmam ejus adhuc
nascentem ut plurimum conamur infringere. Accedit,
quod veteres, tanquam in partam gloriæ hereditatem, &
longâ seculorum serie corroboratam, venerint, de cujus
gradu à novis licet ingeniosissimis dejici nullò modò pos-
sunt. Verùm enim verò minimè nos adeò fama, senioris
ævi miratrix, fascinare debet, ut quascunq; gentis nostræ lu-
cubrationes & præclara inventa præposterè repudiemus.
Multi sanè, ne cuiquam suorum coætaneorum quicquam
tribuant, quò suam atteri gloriam credunt, ad priscae ætatis
homines transferunt universa. Quin imo tanta non nul-
los vexat velania, ut antiquorum exoletas etiam sordes pro
oblectamento habere malint, quàm dignum suo ævo cul-
tum deferre. Largimur equidem phrasin aliquam haud
judicari Latinam, quod Mureti, quod Heinsij, quod Ma-
nutij ea sit; sed quod Tullij, quod Cæsaris, quod Sallustij:
Nec tamen, velut barbara, repudiemus, cùm isti ex his a-
liisq; veterum eam omninò habeant. Plurimum utiq; hîc
dextra valet imitandi solertia. Quoties, quæso, magistrum
suum prævertit discipulus? Solutâ vicit oratione Demo-
sthenem Cicero, ligatâ Homerum Virgilius. Nam ple-
riq;, qui imitantur alium, omissis in illo, quæ trita appa-
rent, lumina ferè verborum phrasiumq; & quicquid præ
aliis elegantia aliquâ ferit animos, annotant, convertunt,
atq;

atq; ex his, veluti flosculis, maximam partem sua conficiunt. Experientia insuper minimè fallax docet, quod facilius & majori cum voluptate scriptorem legimus, nostris moribus & temporibus accommodatum, quàm obsoletum, & ignotarum rerum argumento reconditum. Certè qui intra veterum lectionem unicè consistunt, recentiorum incuriosi, non possunt non in alienis, Romanorum scilicet aut Græcorum, actionibus, quæ parum ad nos, oculati esse, sed ut in sui ævi rebus cæci maneant, peregrè domestici domiq; peregrini. Priscos quippe non aliò fine evolvimus, quàm ut ad nostri temporis usum eos transferamus. Id quod autem abundè Neoterici præstiterunt, ut hac proinde operâ supersedere nobis facilè liceret. Hinc consultius meò quidem ageret judiciò, si quis in nostra aliquando verlari Rep. insigni cum fructu cuperet, ut hujus & superioris seculi historiam Suecorum Polonorumq; exactè addisceret, quàm si totum Herodotum, totum Polybium, aliosq; ex antiquis ad unguem recitare valeret. At verborum ut faciamus compendium: Latinæ æquè ac Græcæ linguæ elegantiam è fontibus veterum hauriendam esse mecum fatebitur, qui sine odio ac livore judicabit. Cùm autem meritò potior sit habenda rerum ratio, quæ uberius multùm in recentiorum invenitur monumentis, quorum aliqui eâ in re antiquis anteferri possunt: Ideoq; ita nostram dispertiamus industriam, ut utrosq; maximâ simul curâ lectitemus. Caveant tamen sibi quàm diligentissimè Studiosi juvenes, ne, juxta Quintiliani monitum, recentis hujus lasciviæ flosculis capti pravâ voluptate deliniantur.

Ingratus enim omninò essem in optimos antiquitatis magistros, si illos è manibus literis incumbentium promiscuè excutere vellem. Conjungendos potius hos sapientiæ inventores statuo cum eximiis nostratium scriptis. Sed quò præter intentionem dilapsus sum? Hoc tantum innuere volui, non laude minus digna hodiernum fieri, ac olim; nec nostrâ penitus ætate desuisse, quod omni celebrare encomio convenit. Ista probè secum expendens Ornatissimus juvenis, Declamator noster, nec Romulum, nec Cyrum, nec Latium, nec Carthaginem, aut aliud quid ex ima vetustate petatum, pro prima ingenij laude, dilaudare voluit. Patriam elegit dulcissimam, RIGAM, altricem ac nutricem suam benignissimam, cujus elogium scribere, ac in publica panegyri recitare, toto flagravimus animo. Nihil enim antiquius, nihil suavius, nihil sanctius habere solemus, quàm illos parietes, in quibus orti & procreati sumus, quàm illas cunas & cubicula, quæ primæ fuere vitæ nostræ hospitia. Quis itaq; vitio ei verteret, si, horum amore irretitus, locum, in quo vitalem auram hausit, primaq; posuit pietatis & artium bonarum fundamenta, summo exornare præconiò allaboraret? Quum Epaminondas, Thebanorum Dux, victis profligatisq; Lacedæmoniis triumpharet, sciscitanti cuidam; quid in vita maximè jucundum ei accidisset? respondit: Nihil illâ victoriâ, quâ & carissimam Patriam, & vivos Parentes, gloriæ meæ spectatores, in libertatem pristinam vindicavi. Tanti ergò jure meritoq; eam fecit terram, quæ ipsum hac luce donavit. Nec est ulla regio tam horrida, inculta,

ta,

ta, inamæna & barbara, quæ alumno suo talis, nec potius culta, civilis, amæna & jucunda videatur. Non dicam, quod amor & desiderium natalis soli in animantibus quoq; appareat, quæ cupidius ibi versantur, & libenter eò recurrunt, ubi primum procreata & educata sunt. Mirum est, quod Livius, historiæ Latinæ princeps, alicubi de L. Junio Bruto, primo Romanorum Consule, refert. Hic, ob patriæ amorem, Titum & Tiberium filios, conspiratione cum Vitelliis initâ, Tarquinius ejectos reducere studentes, virgis cædi ac securi percuti non solum jussit, sed etiam vultu nihil mutato vidit. Quamobrem de pietate in Patriam præclare locutus disertissimus Romuli nepotum. Chari sunt, ait, Parentes, chari liberi, propinqui, familiares; sed omnes omnium charitates Patria una complexa est. Pro qua quis bonus dubitet mortem optetere, si ei sit profuturus? Unde est, quod Imperatores in prælio exhortari milites ad fortius pugnandum non potuerint, quàm si dixerint: Pro patria, pro aris & focus dimicandum est. Quid? quod jam dudum in Proverbium abierit; Patriæ fumus igne alieno luculentior. Ejus verò ornamentum & decus maximum orthodoxa audit Religio, veriq; DEI cultus nullis portentosis hominum commentis fœdè maculatus; sed cum norma Sanctissimorum Oraculorum per omnia congruens. Hoc cujusvis Reip. præcipuum est κειμήλιον, quod ut à Majoribus per manus accepimus, sic nobilissimi instar patrimonij, sollicitè custodiendum, & posteritati, si quæ erit, inviolatè conservandum

dum est. Dehinc Patriam mirum quantum exornant, qui DEI vices in ea gerunt, ac Magistratum legitimè subeunt. Insigne extra dubium alicujus urbis donum ac bonum, si ibi in rebus turbulentis & dubiis matura Procerum adhibeatur sapientia, non aliter atq; in sæva tempestate validus clavus, plurimæ fulturæ, & providus in primis gubernator. Postremò si ea etiam adsint, sine quibus vita hæc mortalium traduci commodè nequeat. Talia sunt, quæ in rei familiaris administratione necessariò requiruntur. Huc igitur conjugium, ne libidini frenæ laxentur, huc justa sobolis educatio, ne à præceptis DEI & naturæ discedat, huc aurea illa in victu & amictu pertinet mediocritas, ne à luxu & immodicis profusionibus rei consumantur publicæ vires, aliaq; quorum mentionem facere præsentis non capit paginæ angustia. Nihil nunc restat, quàm ut denuò ad TITZMANNUM meum sermone revertar, Vos LITERATORUM MAECENATES ET LITERARUM AMANTES, ejus causâ rogans, ut proximâ die Jovis, in Musarum nostrarum domicilio, dicturo aures præbere ne dedignemini. Si, quod opto voveoq;, novus iste Vobis placuerit Orator, optent ei omnes mecum, ut aliquando bonus evadat nulli concedens Patriæ civis, aut etiam, si DEUS voluerit, ejus lumen. Sed hæc cælo & tempori committenda. Venite modò frequentes, &, prout merebitur, secundâ eundem admurmuratione cohonestate. Dabam Rigæ d. IIX. Febr. Anno O. R. clò Ioc LXXX.